




MAGNIFICIS, AMPLIS-  
SIMIS AC PRUDENTISSIMIS

*Viris, Dominis Consulibus, Senatuique inclytæ*

*Reipub. Gedanensis: Dominis perpetua  
observantia colendis.*

DAVID PAREUS S.



In quibus ego post tot veterum atque recentium Theologorum absolutissimas commentationes in Divi Pauli ad Romanos Orbis Dominos principem Epistolam, novi Commentarii evulgatione videbor actum egisse, & quod dicitur post Homerum Iliada: illi existiment velim, idem diu & mihi visum fuisse, seu me, seu conatum meum, remque ipsam intuerer. Quid enim à me tenuissimæ eruditionis homine prodire possit sat dignum politicissimis seculi huius iudiciis, quòdve aliqua parte cū veterum Commentariis videatur comparandum, quibus excellens doctrina, sanctimonia, ætas & veneranda canities. proximam à literis sacris auctoritatem in Ecclesia iam pridem conciliavit, quique interpretibus recentioribus vix quicquam reliquisse videntur, quod dicendo scribendoque non occuparint, suumque fecerint: adeo ut hinc maximè sit verum illud, nihil dici posse, quod non dictum sit prius? Neque absuit metus, ne fortè temeritatis notam subirem cum multis, quorum scribendi *κακον* *ἔργον* divinus Ecclesiastes iam olim perstrinxit. Et hæc quidem domi *Eccle. 2. 12.*